

TESTAMENTVM IACOBI PICO

lomini Cardinalis Papiensis, ad memo

riam humanæ imbecillitatis & fu

nebrium impensarū contem

ptum, pie & prudenter

lectores insti

tuens.

TESTAMENTVM IACOBI
CARDINALIS PA/
PIENSIS.

Fragilis est uita nostra, eamq; casus circūstant
innumeri. Quod uitemus, præuidere satis nō
possumus. Illum diuturna ægritudo, hūc bre
uis languor, alium improuisa mors rapit. Omnibus au
tem incerta uocationis est hora. Quo in loco, quo in tem
pore ea nos expectet, nescimus. Expectare illā nos omni
tēpore, omni loco debemus, memores uerbi Apostoli
quia illa non tardat. Et quod quæ de terra sunt, in terrā
uertuntur. Inscitia est securitate uitæ de exitu non cogi
tare, dispensationem quoq; domesticam in id tempus
differre, in quo mens grauata plurimis, ad unum aliquid
non est sæpe idonea. Angit timor mortis, torquet infir
mitas, Circūstantium est molesta cupiditas, qui sua nō
nostra quæretes, ab animæ cura ad terrena nos reuocāt,
cogentes sæpe perturbationibus suis eum mori qui uel
moriturus non erat, uel certe tam cito nō moriturus. Ut
ergo concedente Deo ista de uitem, & ad meū, non alie
num arbitrium quæ meditor fiant, putans quæ ab Isaia
Propheta Ezechia Regi sunt dicta, mihi Ecclesiæ Ro.
Cardinali imperata. Dispone domui tuæ quia morieris
tu, & non uiues, illud etiam Saluatoris formidans, Vigi
late quia nescitis diem neq; horā, qua Dominus uester
uenturus sit, sero an mane, an galli cantu, statui testamen
tum hoc condere meo chirographo scriptū, cui ita esse
uim uolo si id ipsum, uel eius partem ante mortem non

reuoce. est uero huiusmodi . In primis cōuersus in Deū
authorem, & redemptorem meum, cum anxius sim fu-
turi de me iudicii, & nescius utrum odio an acceptione
sim dignus, Sciens autem in manu eius uitam esse atq;
interitū, per uiscera misericordiæ suæ, in quibus ex alto
nos uisitauit, humi stratus oro ut fiant aures suæ inten-
dentes in uocem deprecationis meæ, non intret in iudi-
cio cum seruo suo, aduersus folium quod uēto rapitur,
non exerceat potentiam suam, nec siccā stipulam prose-
quatur, poenitentis Sacerdotis animam nō dedignetur.
Ignoscat illi delicta præterita, & ignorantias suas. Susci-
piat creaturā creator, & factor figmentum suum. memi-
nerit quod homo immundus de immundo conceptus
sum semine, & quod in peccatis concepit me mater
mea. Veniat ante oculos pietatis suæ, uitæ humanæ in-
firmitas, in qua per omnē successum nouis semper desy-
deriorū facibus incitati extinguere sine illius ope, ignea
inimici tela nō possumus. Stulta est pueritia, inanis ado-
lescētia, iuuentus lubrica. Virile studiū ad ambitionem
inclinat. Friget senectus, & deficit. Si non sustinet Dor-
minus, cui est sperandi fiducia? aut quem sarcina tanta
sine alleuamento eius nō premat? Recordetur Pauli ser-
ui sui ad Romanos hæc lamentantis. Non inquit, quod
uolo bonum hoc ago sed quod odio malum id facio.
Est miserator, & misericors Dominus, longanimis &
multum misericors. Suntq; miseraciones eius super om-
nia opera eius. Secundum ergo peccata mea non faciat
mihi, neq; secundum iniquitates meas retribuatur mihi,
quia non iustificabitur in conspectu suo omnis uiuens,

sed per sanctam natiuitatē suam, passionem, & mortē,
& resurrectionē, & ascensionē in coelū, & aduentū spū
tus sancti paracleti saluet humiliatam animā, cū beatis
spiritibus in uitam æternā. proxime autem si quid con
tra pastorem principem meum. Ro. Pontificem uiuens
peccaui, Peccasse autem multa me puto, si quid dicto,
aut facto contumacius egi, si non sum digne reueritus,
si non parui, si contristauī, si carpsi pro suis in me meri
tis, si non digne retribui, supremā eius pietatem gemēs
imploro, ut mihi ignoscat, & oblitus omnium defuncti
animæ benedicat. Hæc clemens, & ab animo profes
ta charitas petenti erit leuamini, & danti merces a Do
mino. Cū patribus quoq; & collegis meis, quoniam fre
quentior usus fuit, frequentiorē utiq; esse oportuit offen
dendi occasionē. In multis enim peccamus omnes, zelo
typia, contentio, obtrectatio, ira, inuidia sollicitare no
stros animos solet. quicquid in hos admisi, quicquid
amari a me acceptū referūt, oro, obrestorq; per cōmu
ne cōsortiū, & spem misericordiæ, quā a domino iudi
candi expectāt, ut id omne deponāt, iniurias cōdonēt,
& placent defuncto, eam requiē fratri optantes, quā de
se impetrari a domino cupiunt. Executori, quē in calce
testamēti designo, hoc officium pietatis relinquo, ut si
ita indulgeat Pontifex, primo post obitum consistorio
hanc ueniā & remissionem nō inanis gloriæ, sed salutis
causa meo nomine suppliciter petat, idētidē postulās,
ut quæ dispono, quæ testor, pius pastor paterna indul
gentia probet & non mutet, familiamq; meam de me
fideliter meritā pie cōsoleat, & iuuet. Ut uero ad gloriā

Dei, & integritatē cōmunionis fidelius perseuerātis li-
cet peccatoris serui pateat fides, alta uoce profiteor te-
nuisse me a lauacro sancti Baptismatis usq; in diem præ-
sentem sanctā orthodoxam Fidē catholicā, symbolū ab
Apostolis conditū, expositionem fidei magni Nicæni
concilii, Anatematizasse etiā me, & anatematizare om-
nem hæresim extollentem se aduersum sanctā, & imma-
culatam fidem, in qua ut dictū est, uiuere & mori inten-
do, hoc sequens confessionis meæ chirographum om-
nipotenti Deo in extremo iudicio repræsentās. Credo
&c. Corpus meum contaminatum flagitiis licet indi-
gnum sit, cui habeatur honor, sepulchriq; facilis sit sem-
per iactura, rationem tamen habens dignitatis, quā de-
dit ecclesia, pontificalis quoq; officii, per quod plebi
honoratissimæ præfui, sacræ etiam unctiois, qua per
inuisibilem speciem inuisibilis est impressus character,
tradi oro ecclesiasticæ sepulturæ, atq; iis insignibus ador-
natum, quæ consuetudo nostri ordinis tulit. Sapiant ta-
men omnia modestiam funeralem non sæculi pompā.
Si Romæ ut opto morior, cōdi cupio in basilica Apo-
stolorum Principis Petri, post altare beati Gregorii, ad
dextram sepulchri Pōtificis Pii, ut qui me extulit uiuēs,
mortuus iuxta se habeat. Condi illud ipsum humi uolo
marmore tantum non caro contactum, quod parieti
ecclesiæ coniunctum habeat caput. In ipso autem pa-
riete honore defuncti Pontificis ad memoriam meam
nil fabricetur. Marmorea tabula ulnis tribus a terra extās
parieti inseratur, quæ supra sepulchrū parieti insita epi-
taphium sequens incisum bonis litteris habeat.

Luca ortu, Sena lege fuit mihi patria, nomen
Dum uixi Iacobus, mens bona pro genere.
Papa Pius sedem Papiensem detulit, idem
Cardineo ornauit munere, gente, domo.
Quem colui uiuens, non linquo mortuus. hic sum,
Et prope sancta patris filius ossa cubo.
Viuite qui legitis, caelestia quaerite, nostra haec
In cineres tandem gloria tota redit.
Sin alibi in Italia obitum meum esse cōtingat, Romam
nihilominus ad hunc ipsum locum uolo corpus meum
referri dicta iam ratione humanum. Trans alpes uero
aut mare, in cathedrali ecclesia, in cuius uel ciuitate, uel
diocoesi mea uocatio fuerit, Tunc uero executoris curae
sepulchrum relinquens, quintum tantum, & sextum uer-
sum demi ex epitaphio uolo. Vbicunq; autem excesser-
o, testamenti institutionem quae sequitur, uolo.
Impendia funeris, quae adhiberi ad solamen superstitū
magis quā defunctorum leuamen solent, summā mille
ducatorum aureorum ueto excedere, in qua includatur
etiam uestitus familiae. Quanto haec exhibebuntur par-
cius, tanto erit plenius, unde & illi benefiat, & meae ani-
mae cōsulatur. superuacua nec placent Deo, nec laudes
inter homines habent. Transit breui memoria funeris,
diu permanēt damna. Tempora in hoc patrū nostrorū
magis sunt attendēda, quā nostra, qui gloria benefacto-
rum, non luminū multitudine illustrari uolebant sepul-
chra. Quicquid amplius sumetur, quicquid plus eroga-
bitur piaculum executoris sit, non peccatum sobria sta-
tuētis. Castrum doloris cubito angustius in circuitu sit,

quã nostratia soleant. Ipse etiam lectus ad proportionẽ
angustior. Stratum uero lecti, quod pallium dicitur ad
uetus exemplum, ex simplici damasceno uiolaceo sit,
sine ullo omnino auro, aut argento, fimbrias laterũ ha-
bens ex simplici item damasceno coelestini coloris, in
quibus latera singula, singula tantum insignia familiæ
habeant. Veto in circuitu ecclesiæ appēdi tot insigniũ
depicta lintea, ludis meo iudicio aptiora, quam funeri.
Pendeant tantum super altari, in quo missa maior canta-
bit, & in circuitu castri, & in ædificatio latez ecclesiæ quan-
tum castrum ipsum porrigitur. Eandem uolo esse collo-
cationem funalium, quam & insignium. Ardere ea tot
in locis sine sacrorum necessitate quem habeant usum,
non uideo. Legem in his libeter executori do, ne hono-
ris sui causa, ad aliena exēpla magis quã ad se ipsum co-
gatur respicere. Sermonem enim de his omnem testan-
tis futurum, non exequatur fidentius. Cereorum quoti-
diana, & promiscua dispersio magis quam dispensatio
multum auget impensam, nec fructum, qui proponitur
habet. Auaritiæ in his studeri uidetur non orationi. Ad
eos rapiendos cõcurritur undiq; ex tota ecclesia, pugna-
tur, clamat, sacra omnia perturbantur, quodq; indignius
ecclesia est, ad hos compescēdos tumultus publici plæ-
runq; uindices adhibētur hastis, gladiisq; in domo Do-
mini perstrepētes. Ea ne accidant, p̄cesq; non rixæ meũ
celebrent funus nolo nisi confidentibus ad orationem,
& diuina canentibus illos distribui. Per pietatem, quæ
debet mortuis id nõ negligat executor funeris. Quaq;
die in salutem animæ meæ legatur per deuotos Christi

sacerdotes. xxx. missæ tantum. Cum iis una cantetur. qui
cantauerit, & prælatus futurus est, ferat in eleemosyna
carlinos quatuor ĩ singulis missis, unū qui legerit, & his
soluendis fidelis adhibeat minister, qui seipsum, & pau
peres, & animam meã non fraudet. Solent mortuis Car
dinalibus familiares nō ueri ad accipiēdas familiarium
uerorum uestes accurrere, instare ut dentur, si non dan
tur indignari, ac lamētari. ut error non sit, eos uestiri uo
lo, qui in notula manu mea subscripta, uel anulo meo
signata, p̄sentiq; testamento inclusa inuenientur apposi
ti, & Capellanis quattuor canæ, Scutiferis, ĩter quos Pa
rafrenarios, & primum Cocum, & Cællarium, & dispē
fatorem nomino, primæ sortis tres, reliquis dimidiam
cannam minus, sed secūdx sortis iubeo dari, Ita tamē,
ut diebus funeris ad orationem omnes conueniant, &
pro me deprecantur. Hæc ad rationem funeris.

F I N I S.